

2887

C O D I C E S

2888

*Mira sed regni series superni
Cepit et mire. Puta quod fidele
Exigit cor, ac magis in futurum
Mira dat ævum.*

*Cum senex esset Zacharias orans
A Deo dandæ populo salutis
Nempe promissum per in orbe
Christum
Carminè Vatum &c.*

Praefatio Paschalis sic concipitur: *Vere dignum et iustum est, bonum et salutare — Quia delictis Inferis, morte etiam prostrata captiuitatem hæreditariam no-*

stram dissoluisti &c. Sed ineptiarum satis! quæ fortassis, ut subolet, ad *Paulum Scalichium* pertinent.

DCCXCIX.

405 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 67. 4. commode scriptus, rubricisque enotatus est Opus de *Mysteriis Missæ Innocentii III.* qui ante Pontificatum vocabatur *Lotbarius* et an. 1216. supremum habuit. In hoc *Codice*, secus ac in *Cod. CCXXV.* inscribitur: *Incipit prologus in librum sacramentorum domini Innocentij pape III.* Initium Prologi: *Tria sunt in quibus precipue lex diuina consistit &c.* Prologum excipiunt *Capitula prime particule.* In VI. enim *particulas* aut libros tota *Tractatio* dispescitur, quos semper *Capitulum Elenchus* præcedit, eorum tamen numero, nec cum *Cod.* mox *cit.* nec cum *Editis* semper conspirante. Ultima sunt: *totum (Missæ Canonem) continue censui subscribendum.* Qui tamen non comparet, *Librario*, ut putem, eundem alioquin fat notum arbitrante. Ejus loco addidit: *Explicit liber sacramentorum domini ac uenerabilis pape Innocentij.* Totus ita pium et Deo conjunctum hominem loquitur, ut non

nisi aegre credas, quæ *Scriptores* quidam de *Ejus* fastu et *dominandi libidine* tradidere. *Adi et Cod. CCXXV.*

DCCC.

Codex membraneus lat. Sec. 426 XII. Folior. 86. 4. probe scriptus, rubricisque distinctus, olim *S. Mariæ V. in Speciosa Valle* seu *Schönthal* O. Cist. non procul *Mergentheimio*, varia complectitur, et quidem I. *Expositionem Missæ* prævio hoc *Monito* miniat: *Opusculum de actione Missarum quod subter annexum continetur collectum quam maxime est ex verbis Sanctorum Patrum. Cypriani. Ambrosii. Augustini. Ieronimi. Gregorii. Fulgentii. Severiani. Vigilii. Ysidori. Bede. Auiti. Que suis Locis per singula Litterae nominum que forinsecus (ad marginem) prenotantur ostendunt. Sed et ex antiquis mysteriorum (Liturgiarum) libris quedam uerba necessario sumpta sunt &c.* Sequuntur *Loca* quaedam *PP.* in quibus generatim de *Altaris Sacrificio* agitur: *Augustinus. In mysterio corporis*